

Off. 59. 4.

Q. D. B. V.

30

SACRARVM OBSERVATIONVM MANIPVLVS

INTER IPSA INAUGRATIONIS SOLEMNIA
CONDITAE

A
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

F R I D E R I C O ,

MARCHIONE BRANDENBURGICO, DVCE BORVS-
SIAE, SILESIAE, MAGDEBURGI, CLIVIAE &c. &c. BVRGGRAVIO NO-
RIBERGAE, PRINCIPE HALBERSTADII, MINDAE, CAMINAE
ET RELIQA
CIRCULI FRANCONIAE SUPREMO CAMPIMARESCHALLO AC TRIVM LE-
GIONVM EQVESTRIVM AC PEDESTRIVM PRAEFECTO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

NOVAE

ACADEMIAE ERLANGENSIS

DISQVISITIONI PUBLICAE

PRO CAPESSENDIS MORE PRISCO
DOCTORIS S. S. THEOLOGIAE
HONORIBVS

PROPOSITVS,

A

M. GEORG. LVDOV. OEDERO,

ANTISTITE FEVCHTVVANG. ET EIVS DIOECES. DECANO.

ERLANGAE LITTERIS BECKERIANIS.





ILLVSTRATIO PSALMI CVII. EX HISTORIA N. T.

§. 1.

DEUM precor, ut, qua voluptate gravissimum hymnum ego perlegi, vera sane & sincera, eadem impertiti lectores mei abeant. Consultum erit postremum comma, in quo mihi clavis esse videatur reliquorum, attente considerare: *quis sapiens, ut observet haec? Et intelligent beneficia Jehovæ.*

§. 2.

De *præceptorum*, seu legum divinarum observatione hic non est sermo, nam toto psalmo historiæ narrantur, non factarum, sed, ut paulo post docebitur, tum futurarum rerum. Optime b. GEIERS noster, observabit, ita scilicet, ut sensibus recte & accurate accipiat, mente decenter omnia perpendat, judicium secundum Dei verbum dextre ferat, ad suos aliorumque usus trans-

A

ferre

ferre & applicare discat, è memoria nunquam deponat, vel sepeliat. Idem ebraicam vocem וְתִבְונָה ex *Esa LII.* 15. *Job. XXXVII.* 14. *Ps. CXIX.* 95. 104. pulchre explicat, ut adeo de verbis nihil restet dubii. Nos ergo, ego & tu quisquis es, qui hæc legimus, compellamus, accurate considerare, quod qualeve tempus significarit Spiritus Sanctus. Quod quidem tempus ante felix exordium N. T. decursum esse non potest. Tum demum oculis videri potuit, quod antea occultum fuerat. *Esa. LII.* 15.

§. 3.

Age contueamur nunc singulas partes vaticinii, & quam pulchre unaquæque impleta sit, videamus!

§. 4.

¶. 1. *Laudate Jehovam, quoniam bonus, quoniam in seculum durat misericordia ejus!* Exordium generale, quo omnes non ad singularia tantum beneficia Dei grata mente agnoscenda commonemur, sed ad universalem toti ecclesiæ exhibitam benignantatem.

§. 5.

¶. *Dicant redempti Jehova, quos redemit è manu inimica!* Cum his confer. *Luc. I.* 7-75. Benignitatem eandem, quam Pſalmus significat futuram זְהִיר Zacharias agnoscit promissam זְהִיר sive ἀντίλαυρος. Quænam illa? concinunt duo θεόπτευστοι viri elegantissime. Redemptionem uterque narrat; liberationem salutemque uterque; hostes uterque vincendos. In eo clarior Zacharias, quod in Psalmo suspicari aliquis potuisset, hostes bellicosas gentes esse, quales Israelitæ cum Judicum tempore, tum alias experti sunt. Verum Zacharia verba eam suspicionem non admittunt, nam Joannes filius, & is maxime, cui hic viam parbat, Christus,

Christus, bella cum Romanis, vel aliis, qui poscent hostes
externi dici, nulla gessere. Porro, quod psaltes uno ver-
bo, laudate, dixit, uberius exponit *Zacharias*; ut sine timo-
re è manu hostium nostrorum liberati, serviamus ipsi, in sanctitate
& justitia, omnibus diebus vita nostra. Romanorum poten-
tia non oberat, quin sancte & pie viverent Judæi, sacra
quoque Levitica, stantia adhuc, sed nato Christo inclina-
ta, obirent pro libitu colerentque. Itaque hos vir san-
ctus non voluit intellectos, sed potissimum diaboli tene-
brosum regnum, doctores in populo pravos, invalescen-
tem malignitatem morum ejus seculi, à quibus liberan-
tur homines, cum cacodæmonis potentia frangitur, cum
patefit ad salutem via, cum puniuntur improbi, & pio-
rum animus erigitur &c. Ceterum *Zacharias* his verbis
v. 73. τὰ δέναι ημῖν docet, ea potissimum ætate, qua ipse
vixit, coepisse beneficiorum istorum, dudum promisso-
rum exhibitionem.

§. 6.

¶. 3. Et quos è terris collegit, ab oriente & occidente, à
septentrionibus & mari. Quatuor mundi plágas hic intelli-
gi, dubio caret; quamquam cur à mari dicatur australis
plaga, non ita expeditum est, nam constat voce δ' fere
mare mediterraneum, quod magnam partem occidentale
est Palæstinæ incolis, intelligi. Sed & hoc liquet, esse
rubrum mare austrum versus terræ sanctæ proximum, quod
in oceanum desinens, ut hic intelligi possit, nihil obsta-
re videtur.

§. 7.

At ista congregatio cultorum nominis divini quan-
do facta? Meditentur & quærant alii, quantum volent,
A 2 nun-

nunquam invenient eam collectionem factam, quæ amplitudini vaticinii nostri respondeat, præterquam temporibus N. Testamenti. Itaque lucem petimus è Matthæi VIII. 11. quo loco dulcissimus Servator, multos venturos prædictis ab oriente & occidente & accubituros cum Abrahamo, Iсаaco & Jacobo in regno Dei, ejctis filiis regni, h. e. Judæis, in tenebras exteriore; quam rem de vocatione gentium accipiendam esse nemo ignorat.

§. 8.

Eodem etiam referendum illud Matth. XXIV. 31. quamquam enim divortia Interpretum me haud fugiunt, apud me tamen nihil dubii est, intelligi rectissime propagationem evangelii per omnes plagas mundi, quæ cumstantibus Hierosolymis jam mirificè coepta esset, major tam & amplior facta, cum pessundata esset civitas judaica. Tum ergo electi, tuba evangelii, ex omnibus ventis, in caulam Christi collecti sunt.

§. 9.

Nec prætereundus illustris locus, Esa. XLIX. 12. Ecce illi de longinquō venient & ecce hi à septentrione, & à mari, & hi de terra Sinim, sive ut Bochartum fecuti, summa verisimilitudine interpretantur, à terra Egypti. Hic locus, ut palam de conversione gentium agit, ita huc potissimum pertinet, quod בָּבֶל נְצָרָת à Septentrione & à mari, hic æque ut in psalmo nostro, sibi mutuo opponuntur.

§. 10.

¶. 4. Errarunt in deserto, in solitudine vie, seu locis invisiis, urbem, quam incolerent, non invenerunt. Mutuo accepta esse hæc verba à peregrinatione Israelitarum per desertum Arabicum, nemo negabit, quod & aliis locis, v. g.

Zach. X.

Zach. X. 10. 11. factum: sed liquet nihilominus, de istis temporibus minime agi. Commentarii loco Apostoli verba sint 1. Cor. IV. 11. 12. usque ad hunc diem & esurimus & siti mus & nudi sumus & colaphis cedimur, non avaroum & incertis sedibus erramus. Nimirum factum est, quod Christus prædixerat Jo. XVI. 2. ἀποστελλόμενοι μάς, expellent vos Synagogis &c.

§. 11.

Iisdem vero testimentiis simul explicatum est comma 5. Famelici & simul siti entes, anima in ipsis deficit. Externa conditio primorum christianorum magis vivis coloribus pingi non poterat. Ita & commata 6. 7. 8. 9. facilia sunt intellectu, si conferas 2. Cor. VI. 4-10. In omnibus nos siti entes ut Dei ministri, tolerantia multa, in oppressionibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagiis, in carceribus, in incertis vagationibus, in avagationibus, quæ vox crebras ejectiones & exsilii proturbatorum christianorum significat, in laboribus, in vigiliis, in jejunii s. per gloriam & ignominiam, quasi impostores & veraces tamen; ut ignoti & tamen cogniti. quasi mortui, & ecce vivimus, ut qui castigamur, & tamen morii non damur; ut dolentes, semper tamen gaudentes, ut pauperes, at, qui multos dant, ut qui nihil habent & omnia tamen obtinent. Auditos esse gemitus christianorum, & fixas tandem sedes conventuum sacrorum concessas, quis tam imperitus rerum gestarum est, ut nesciat.

§. 12.

¶. 10-23. Quod mihi accidit, ut haec commata hypothesi quam adhuc secutus sum, vehementer obstat vi- derentur, id eodem modo lectoribus meis non dubito usu venire. Sed eosdem poterit scrupulis omnibus liberare

A 3

aliquot

aliquot dictorum N. T. accurata consideratio. Cohortatur David ad laudandum Deum & celebranda miracula ejus , non sane homines *omni labore carentes* (nam dicite eos quod *refractarii* fuissent, ob peccata in varia calamitatum genera datos) verum non manentes in improbitate, potius ad agnitionem providentiae divinae, ad cuius celebrationem alias frustra compellerentur , adductos , & calamitatibus, potissimum carcere, mirabili ratione liberatos.

§. 13.

Hic ita luculentos characteres primorum aliquot testimoniū & praeconum evangelii invenisse mihi videor , ut in neminem alium simul omnes cadant. Qualis *Paullus* ab initio fuerit , age ipsum audiamus narrantem. I. Tim. I. 13. *τὸν πρότερον ὄντα βλάσφημον καὶ διάκυνθον καὶ ἀβράσαντον.* Qui prius eram blasphemus & persecutor & injurious. Et, nisi restitisset aliquandiu verbis divinis, non dixisset illi Christus in via Damascena, (quam commode dixeris *υψόφερον* ut est v. 17. Psalmi nostri) Act. IX. 5. *Ego sum JEsus , quem tu persequeris.* Durum tibi erit contra stimulum calcitrare. Sed eo plane modo miraculi plenissimo, quem Psalmus noster narrat, hunc & Silam legimus è carcere Philippensi liberatum. Act. XVI. 26. Quod idem Petro antea ad ingredendas ethnicorum domos prodigiis coelestibus compulsum legum judaicarum justo tenacior esset, accidit. Act. XII. 10. Nemo autem his sanctis Apostolis ceterisque eorum collegis, in laudando Deo, & humano genere ad easdem laudes Dei adhortando, diligenter fuit.

§. 14.

Neque est, quod dicas, non in peccatorum poenam istas calamitates , v. g. *carcerem* , obtigisse his Apostolis.

Nam

Nam, si vocem *poena* quæ iram judicis innuit, demas, nihil certius, quam in castigationem eorum, cui tamen alios fines accedere nihil prohibet, ea omnia à sapientissimo Numine ita facta, permissa directaque esse. Hinc *Act. IX. 16.* Dominus ad *Ananiam de Saulo*; ego ostendam ei, quam multa oporteat cum pro nomine meo pati, ad quem locum conferri, si placet, poterant, quæ olim ad *2. Cor. XII. 7.* de palo *Pauli* differuimus.

§. 15.

Fateor vocem οὗτον καὶ 17. initio nimis mihi duram visam esse, quam ut poscit de primis testibus veritatis, quamquam nondum παρέλθοις nec omni vitio immunitibus, dici: sed, postquam usum hujus vocis cognovi, quæ non tam improbitatem et scelus, quam soliditatem imprudentiam, et πλευρατα, pulchre observante ad *Prov. I. 8.* GEI-ERO, significat, qua fieri solet, ut homo nimium suis viribus tribuat; abjeci facile istam sollicitudinem, maxime, cum in mentem veniret illud Apostoli: *2. Cor. I. 8. 9.* Non enim volumus vos ignorare fratres de calamitate nostra, qua evenit in Asia, nos summe gravatos fuisse supra vires, adeo, ut prorsus animi penderemus, etiam, quod ad vitam, sed ipsi in nobis met ipsos decretum de morte habuimus. (h. e. ut *Hiskiae*, olim, sic et nobis, (quod intra nos sensimus) Deus mortis sententiam denuntiavit, quem ego sensum credo verborum, εὐτοῖς τὸ ἀπόκριψα τὸ διάβολον ne consideremus in nobis met ipsos. (h. e. ne essemus οὗτοι) Sed in Deo, qui mortuos excitat. Idem locus simul ostendit, quid rei sit, ad portas mortis accedere. Conf. de *Epaphrodito*, *Philipp. II. 26. 27.*

§. 16.

Quæ sequuntur καὶ 23 - 30. quam fieri non potest, ut aliquis commode interpretetur, si meam repudiet sententiam,

tentiam, in qua me hac ipsa pericope fateor maxime confirmatum esse; ubi enim factum est, ut viderent homines, *Domino unicum verbum proloquente, fluctus consistere, si ab evangelica historia discedas?* tam plana et liquida, si hanc historiam conferas, omnia sunt. Itaque placet verba psalmi & Evangelistarum quasi εν παραλλήλια ponere. Ille sic „qui descendunt in mare navibus, facientes opus in aquis magnis. (h. e. pescatores) viderunt facta Jehovæ, & mirabilia ejus in profundo. Dixit & praesentem stitit ventum procellosum, qui fluctus suos fustulit. Elati sunt ad coelum; delati ad abyssos; anima ipsorum in calamitate defecit. Subsultant & vacillant, sicut ebrius, tota eorum sapientia periit. Tum clamant ad Jehovahm, cum angerentur, qui ex angustiis eorum ipsos eripuit, consistere jussit procellam, ut taceret, & siluerunt fluctus ejus. Quo facto gavisi sunt, quod fluctus illi conticuerant. Et deduxit eos ad terminum cupiditatis eorum, h. e. quo voluerant.

§. 17.

Jam subjiciam contextum è *Matth. XIV. Marc. VI. & Jo. VI.* historiam evangelicam: „Jesus coegerit discipulos suos descendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum, quem cum missum fecisset, adscendit in montem solus, oratum, vespere autem facto, solus erat ibi. Ut autem vesper venerat, descenderunt discipuli eius ad mare, erat adeo nolis in medio mari, & ipse solus in terra; ceterum magno vento coorto, navicula jaestabatur fluctibus. Itaque cum videret eos laborare remigando, erat enim ventus cis contrarius, quarta vigilia noctis venit ad eos, ambulans

„ambulans super mare. Cum remigassent ergo stadia cir-
 „citer viginti quinque aut triginta, vident Iesum ambu-
 „lantem supra mare, & proximum navi fieri, ut præter-
 „ire vellet. Quo viso exterriti & phantasma esse rati,
 „præ timore clamaverunt. Quos Jesus adlocutus, con-
 „fidite, inquit, *ego sum, nolite timere!* Petrus igitur respon-
 „dens, *sí tu es, inquit, Domine, jube me ad te venire super
 aquas.* At ille ait: *veni.* Et descendens Petrus de navi-
 „cula, ambulabat super aqua, ut veniret ad Iesum. Vi-
 „dens vero procellam validam timuit, &, cum cœpisset
 „mergi, clamavit dicens: *Domine serva me!* Et continuo
 „Jesus extenta manu adprehendit eum & ait illi: *Homo
 modice fidei, quare dubitasti?* voluerunt ergo eum recipere
 „in naviculam, quod & fecit. Et, cum adscendissent in
 „naviculam, cessavit ventus, & statim navis fuit ad litus,
 „in quod tendebant. Igitur, qui in navicula erant, ve-
 „nerunt & adorarunt eum dicentes: *Vere Filius Dei es.*
 „Obitupueruntque vehementissime; non enim intellexe-
 „runt, quod de panibus factum esset, corde ipsorum
 „occocato.

§. 18.

Nihil addo, nisi ultima hæc verba probe conside-
 randa esse, continent enim rationem, ob quam Christus
 discipulos in navim compulerit, ventum immiserit, con-
 flixtaque suos acriter voluerit, deinde multiplici mira-
 culo ipsis præsto fuerit, ut, quod mirabili panum multi-
 plicatione non obtinuerat, his tandem miraculis obtine-
 ret, quod & factum. Similem historiam Marci quarto ca-
 pite, commate autem 39. majestatis plenissimas voces, σιάτα,
 τεφίπανα, ab ipso lectori hoc conferri velim.

B

§. 19.

§. 19.

V. 31-32. Quid vero facere decuit Apostolos, tot tamque stupendis miraculis è calamitate non una expeditos? Hoc, quod Psalmus habet: *Celebrabunt ipsi Jehovæ ejus benignitatem, & mirabilia ejus filii, hominum. Extollent eum in cœtu populi, & in confessu seniorum* (h. e. in Synedrio) *laudabunt eum.* Id vero egregie præstiterunt discipuli, nam gratias & laudes, & ipsos divinos honores tribuisse huic Jehovæ, h. e. Christo, modo cognovimus. At, in cœtu amplissimo populi, atque ipso Synedrio, eodem officio diligentissime functos esse, ex *Actis Apostolicis* constat III.

12. Quod cum videret Petrus, respondit populo: „Viri Israelitæ, quid hunc hominem miramini, (ad hominem enim sanatum voces επι τουτῳ plane referendæ sunt, postulante sermonis ordine, in quo de personis agitur, & res sane admiratione dignissima fuit) aut in nobis quid fixis „oculis hæretis, quasi propria virtute aut pietate effe- „rimus, ut hic ambularet. Deus ille Abrahāni & Isaaci & „Jacobi, Deus patrum nostrorum, gloria ornavit filium suum „JESVM, quem vos prodidistis & inficiati estis coram Pi- „lato, cum is esse absolvendum judicasset; vos autem san- „ctum illum & justum inficiati estis, atque homicidam vo- „bis petiistis condonari, principem vero vitæ trucidastis, „quem Deus è mortuis excitavit, cuius nos testes sumus. „Et per fidem in nomen ipsius, hunc, quem conspicitis „& nostis, confirmavit nomen ipsius, & fides, quæ per „ipsum (nempe valet, hoc enim vel simile aliquid subin- „telligendum esse censeo, indicatur enim fidei non per se, „sed per Christum eam vim tribuendam) dedit isti inte- „gritatem hanc coram omnibus vobis. Porro *Act. IV. 8.* „Tunc

„Tunc Petrus repletus Spiritu Sancto dixit eis : Primo-
„res populi & Seniores Israël ! quandoquidem de nobis
„hodie quæstio habetur super beneficio homini ægroto
„facto , per quem sanatus ille sit ? notum sit omnibus vo-
„bis & toti populo Israël , per nomen Iesu Christi Na-
„zarenī , quem vos crucifixistis , quem Deus excitavit è
„mortuis , per hoc inquam , hic in conspectu vestro sa-
„nus adstat . Hic est lapis ille pro nihilo habitus , à vo-
„bis ædificantibus , qui factus est caput anguli . &c.

§. 20.

¶. 33-40. Quis hic non videt tum ecclesiæ christia-
næ cum irriguo arvo comparatae foecunditatem & au-
gmenta insignia , tum populi judaici excidium , terræ quo-
que sterilitatem subsecutam plane stupendam , ut Chri-
stus prædixit , Matth. XXIII. 38. Ecce relinquitur Domus
vestra deserta , & Matth. XXIV. 15. cum ergo videritis ab-
ominationem illam vastationis , que dicta est à Daniele Propheta &c.
Constat autem Danielem prædixisse vastitatem perpetuam Hier-
osolymorum . Ceterum principes Judæorum plane occœ-
catos in via ad salutem , contra in pauperibus christianis
lucem amoenissimam veritatis resulſisse , fumma cum vo-
luptate piorum , adeo , ut non haberent improbi , quod
dicerent contra Act. IV. 14. ea omnia fusius enarrare non
pigeret , nisi rem per se claram esse confiderem.

EXPLICATIO PSALMI CXXVII.

§. 1.

Mire placuerunt verba b. HILARII PICTAVIENSIS,
in enarratione hujus Psalmi , qui in vulgata editione CXXVI.
B 2. elt,

est, p. 645. edit. Basili. an. 1550. „Hic quoque Psalmus
 „nihil in se terrenum, nihil humile, nihil *preteritis temporibus*
 „*conveniens* intelligitur esse complexus, sed secundum
 „propheticam & apostolicam atque evangelicam auto-
 „ritatem, eas spes omnes prænunciare, in quas se Patriar-
 „charum desiderium, Sanctorum exspectatio, Apostolo-
 „rum fides, Martyrum confessio & omnium credentium
 „cursus extendit, id est in sancta tempora, in æternæ ci-
 „vitatis incolatum atque coetum, in regni dominici bea-
 „titudinem, in spiritualis libertatis novam gloriam, in
 „consortium divinæ æternitatis & regni.

§. 2.

Contradixit huic, sed ita, ut nec ipse negaret ad tem-
 pora N. T. psalmum pertinere B. HIERONYMVS, ad
Marcellam Tom. III. oper. p. 76. cuius aliqua neque hic le-
 gisse poenitebit: „Tantum virum, HILARIVM, & tem-
 poribus suis disertissimum reprehendere non audeo, qui
 „& confessionis suæ merito, & vitae industria, & elo-
 „quentiæ claritate, ubicunque Romanum nomen est,
 „prædicatur: nisi quod non ejus culpæ adscribendum est,
 „qui hebræi sermonis ignarus fuit, græcarum quoque li-
 „sterarum quandam aurulam ceperat. Sed HELIODO-
 „RI presbyteri, quo ille familiariter usus est, eaque, quæ
 „intelligere non poterat, quomodo ab ORIGENE essent
 „dicta, quærebatur. Qui, quia in hoc psalmo commen-
 „tarium ORIGENIS invenire non potuit, opinionem
 „magis insinuare suam, quam inscitiam voluit confiteri.
 „Quam ille sumtam claro sermone differuit, & alienum
 „errorem disertius exequutus est. Restat igitur, ut rursus
 „ad fontem sermonis recurramus hebræi, & videamus,
 „quomodo scriptum sit.

§. 3.

§. 3.

Utut sit de HILARII, vel, si mavis HELIODORI eruditione, acutius mihi vidisse hoc quidem psalmo videretur, quamquam in aliquot vocibus explicandis ab eo dissentio, quam ipse HIERONYMVS, de *flus ebraicè*, sed neque ipse ultra mediocritatem; & HIERONYMVS vicissim melius, quam qui recentiore ætate vel fuerunt vel habiti sunt ejus linguae peritissimi. Nescio enim, qui factum sit, ut hic viri eruditissimi nihil præter *res domesticas* cernerent, & quæ ad œconomiam privati cujusque hominis pertinent.

§. 4.

Recte autem HILARIVM de temporibus N. T. hic cogitassem, quod & fecisse video B. ATHANASIVM, quantum ad v. i. attinet, Tom. I. oper. p. 546. sive *oratione quinta adversus Arianos*, atque AVGVSTINVM in enarratione hujus psalmi Tom. VIII. oper. p. m. 1477. nunc ordine demonstrabo, hic generatim monuisse contentus, me adhuc ne hariolando quidem adsequi potuisse, quid caussæ sit, cur filii, & quidem in *juventute geniti*, sagittis similes dicantur, hisque *pharetra implenda*? quo in commate omnes hærere palam est.

§. 5.

¶. 1. *Canticum ascensionum* IO. CLERICVS ad Psalm. CXX. „Titulus, inquit, idem, qui quatuordecim sequentibus psalmis, & qui, quid significet, nemo adhuc ostendit. Notum quidem *n̄b̄yn* esse *gradus*, sed cur hi psalmi *cantica graduum* dicantur, nemo novit, nec in re tam obscura coniicere libet, aut aliorum somnia proferre. Contra GVILELMVS IRHOVIVS, *conjectaneis in psalmo*

rum titulos, an. 1728. editis, non dubitat esse cantica ascensionum, i. e. reditus, seu redditum, ex captivitate Babylonica, partim videlicet in ipso exitu decantata, partim in posterum in hujusce memoriam decantanda. Observat in hunc finem vir doctus Esra VII. 9. reditum è Babylonia vocari נְבָנָה & reduces Ebraeos οὗτον Esra II. 1. & 59. habuisse & secum cantatores & cantatrices Esra II. 65. Nebem. VII. 67.

§. 6.

Ad præsentem psalmum quod attinet, licet non placat conjecturam docti viri persequi, hoc saltem liquere arbitror, cum Salomonis certissime sit, de temporibus ex filii Babylonici, & reditus inde secuti cogitare intempestivum esse. Hujus autem regis cum nullum sit augustius & magnificentius opus, quam ædificatio & inauguratio templi, bella autem nulla gesta, quæ נְבָנָה & græce αὐαβάσεις dici possent, vehementer probabile, neque multum à certo abest, eo tempore, cum vel ædificaretur, vel dedicaretur templum, hymnum nostrum primitus cantatum esse. *Ascendendum* fuisse in templum ex urbe ipsaque regia, nemo nescit. vid. Esiae XXXVIII. 22. Luc. XVIII. 10. Act. III. 1. Id vero agminatim factum esse cum reliquis solennioribus festis, tum potissimum in templi inauguratione, nulla demonstratione indiget, sed & argumentum psalmi egregie huic opinioni concinit, quod nunc videbimus.

§. 7.

Nisi Jehovah ædificaret domum, frustra in ea laborant ejus ædificatores. Nisi Jehovah servaverit urbem, frustra custos vigilat. HILARIVS postquam observasset, alios hæc Salomonis ita accepisse; prævidisse tum pium regem, quæ ipse parasset, destru-

destructum aliquando iri, idemque futurum templo à Zorobabele restituendo, subjicit: „Bene autem inania humanae operis propheta esse opera prophetavit. Scit inutiles esse humanarum custodiarum vigilias, scit in cassum esse consurgentium matutinas solicitudines. Civitas & à se instituta, & ab aliis restituta, jam nulla est. Non profecit ædificatio vel prima vel consequens. Et recte ille eventus civitatis propheta est, qui auctor fuerat exstrenuus. A Deo ergo domus est ædificanda, quæ maneat: quia, nisi quæ a Domino ædificata sit, non manebit. A Deo civitas custodienda, ne pereat; quia, nisi à Deo custodita sit civitas, diruetur. Et primum, quæ domus Dei sit, intelligamus, ut per id cognoscamus, quatenus ab eo ædificanda mansura sit? Ait enim, hæc requies mea, in secula seculorum; hic habitabo, quoniam elegi eam. Elegit autem Sion; sed numquid eam, de qua præfens prophetiæ huius querela est, nisi Dominus ædificaverit dominum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam? Sion, in qua templum fuerat, eversa est; Et ubi sedes æterna Domini? ubi requies sempiterna? quod habitabile ei templo? Nempe illud, de quo dictum est: Vos estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis &c.

§. 8.

Eleganter hæc dicta esse, nemo facile negabit, sed cur nihilominus non accedam hac in re HILARIO, hanc habeo causam, quod eadem domus, quam ædificari custodirique à Deo prædicat, sit intelligenda, in qua ædificatores lassati sunt. At hi saxeum istam molem templi, non spirituale Dei ædificium, h. e. ecclesiam, composuere. Nam spirituales ædificatores non puto hic intelligi posse, qui si veri sunt,

sunt, non potest eorum opera frustranea dici; ii *falsi*, qui rejecto lapide angulari, nescio quid ædificare conati sunt, ii in domo, quam Deus ædificat, tucturque laborasse, nescio an commode dicantur. Quæ quamvis ita mihi videantur, nolim tamen multum refragari, si quis cum HILARIO & hic sentire velit.

§. 9.

¶. 2. Non tam de sensu vocum מְשֻׁכִּים קָמָם מַאֲחֶרֶת שְׁבָתָה laborandum, quam quales homines isti *mane surgentes*, & *differentes quietem*, h. e. sero cubitum eunt, sint, indagandum censeo. Nam parum interesse videtur, utrum cum GVSSETIO טְבַת è radice שְׁבָת an cum ceteris ex שְׁבָת ducas. Sed ad eam, quam dixi, graviorem quæstionem, non poterit prius responderi, quam aliis nodis, non observatus, quod quidem ego sciām, Interpretibus expediatur. Nimirum dispiciendum est, utrum Salomo alloquatur hos mane surgentes & sero cubitum eunt, ipsosque moneat de frustra sumto ipsorum labore; an compellat Israelitas suos, eosque jubeat certos esse de præsidio divino, frustra enim fore, qui dies noctesque de excidio populi cogitatur sint?

§. 10.

Posterior hæc interpretatio rationes habet admodum probabiles, 1.) non dicitur: שְׁוֹא מְשֻׁכִּים &c. *frustra sunt*, qui surgunt, sed: שְׁוֹא לְנֵס frusta vobis sunt, qui surgunt &c. quasi diceret: non est, ô Israelitæ, quod multum vobis ab improbis vigiliis inimicorum timeatis. 2.) Qui HIERONYMVM l. c. legit, facile adducitur, ut credat, ethnicos idolorum cultores intelligi, qui male cupiant ecclesiæ veræ. Quamquam enim ipsos Judæos idolorum cultores dici putat

putat HIERONYMVS, tamen, cum magna confidentia perhibeat, pro dolore in ebræo *idola* esse posita, nihil magis primum est, quam de gentibus externis contra templum pugnaturis intelligere.

§. II.

Operæ pretium existimo ipsius HIERONYMI aliqua huc referre. „Inde ad hebræum recurrens inveni pro *pane doloris* scriptum *לֹחֶם הַצָּבִים* quod A Q V I L A interpretatus est „*ἄρτου διαπονημάτων* i. e. *panem elaborationum*. SYMMACHVS „*ἄρτου παναπαθούμενου*, quod exponit, *panem ærumnosum*. „Quinta editio, & THEODOTION, qui in ceteris cum se „ptuaginta translatoribus facit, *panem idolorum*. Sexta *πλάνης* „i. e. *erroris*, nec mirandum est de AQVILA, si *διαπονημάτα* pro *idolis* ponat, cum opera manuum hominis „sint, & prophetiae populus arguatur ad templum dilucu „lo frustra consurgere, & post quietem ad sanctuarium fe „stinare, cum *idola* Dei honore venerentur: secundum „quod Ezechiel scripsit, in ipso templo sacrificare *idolis* „sacerdotes. Ut autem plenius adducaris, pro *dolore* in „hebræo *idola* posita, hoc ipsum verbum, hoc est *עֲבָדִים* „etiam in centesimo decimo tertio psalmo scriptum est. „Septuaginta quoque *idola* transtulerunt. Nam & in eo lo „co, ubi legimus *idola gentium, argentum & aurum, opera ma* „*nnum hominum*, in hebræo habetur *עֲבָדָה* quod AQVI „LA interpretatur *elaborationes eorum*. Unde, cum ita veritas „se habeat, non frustra quidam *doloris panem*, aut hæretici „corum intelligent sacramenta, aut vitæ istius miserabilis & ærumnosæ interpretantur laborem, apud quam in „sudore faciei comedimus panem nostrum, & inter spinas „& tribulos brevis vitæ alimenta nascuntur.

C

§. I.

§. 12.

Liquet HIERONYMVM non satis sibi constare, cum *idola* quidem significari asseveret, sed & eos laudet probetque, qui de *pane ærumnosæ hujus vita* interpretantur, quæ significations simul esse veræ nequeunt. Porro non observat discrimen inter מִזְבֵּחַ *quæ vocē idola* appellantur, & עֲזָבִים *Neque vero est necesse, huic voci aliam notio-*
nem, quam laborum seu dolorum imponere. Ita חַדְבִּים *est panis multa ærumna & labore partus, nam hoc sensu*
vox legitur Prov. v. 10. alibique. Sic & חַדְבִּים *Deut. XVI. 3. Malim itaque eos, qui mane surgunt, & se-*
ro à labore cessant, ærumnosamque adeo vitam agunt,
compellari à Salomone, monerique, ne se credant suis
manibus Deo ædificare potuisse domum; istam rem esse
altiorum virium.

§. 13.

Nec obstat שָׂא לְכָם dictum esse, cum non sit neces-
 se eadem forma repetere, quæ dicta sunt, sed potius sua-
 ve sit, aliqua variatione uti. Ceterum chaldæus inter-
 pres hos mane surgentes & sero acquiescentes, pro pessi-
 mis hominibus, qui ad prædandum surgant, ad turpes li-
 bidines cubitum eant, habuit.

§. 14.

At nos quid dicemus? sic videtur. Alloquitur Sa-
 lomo, ut primo commate eos, qui tum recens ædificatum
 templum construxerant, ita v. 2. qui restauraturi essent
 templum, post exsilium Babylonicum, quod factum esse
 inter perpetuos labores & ærumnas, ex Esra, Nhemie, &
 Zacharia &c. libris constat. Monet hos quoque, non ad
 ipsorum

ipsorum curas & vigilias redire negotium, sed Deum sua sapientia omnia effecturum.

§. 15

Ita & sequentia, quæ instar ænigmatis adhuc fuere, poterunt intelligi : כ יתנּ לְרִדוֹ שָׁנָא h. e. Sic dabit dilecto suo mutatum. Ita me jure meritoque transferre voces ebraicas arbitror יְהִי Christus est, Esa. V. 1. Agnovit B. GEIERVS singularem numerum, sed mavult tamen de singulis piis hominibus accipi, nisi quis malit ad Salomonem, (nam putat GEIERVS Davidem auctorem filio Salomoni psalmum inscriptione tribuisse, contra nos melius, ut opinor, cum doctissimo JO. GOTTL. CARPZOVIO aliisque Salomonem ipsum auctorem credimus) respici, qui dictus sit, cui etiam dormienti promissa sit incomparabilis sapientia & opulentia. At nos in singulari numero adquiescimus, nec ad quemquam alium, quam Christum, hæc pertinere censemus.

§. 16.

אַשְׁנָא magno consensu ajunt esse somnum, sed varie explicant, plerique aliquid intelligi παρομιώδες volunt, ut sit in somno h. e. sine negotio, & τὸ in præterea inferciunt. Quod an vere dicatur, & piis hominibus persuaderi possit, ut nihil agentes munera divina expectent, dispiciant alii. Mihi quidem videtur, si vituperentur mane surgentes, sero cubitum euntes, h. e. panem, labore suo & sudore vultus sui partum, comedentes; hisque oppositi dormientes beati prædicentur, difficulter admodum explicari posse, quid sibi velit præceptum divinum Gen. III. 19. Bene est, quod anxias curas, & opinionem de nostris operis, quasi his, nec potius providentiæ divinæ fructus debeat, damnari dicunt.

cunt. Verum in verbis de *anxia ista cura & opinione perversa* nihil exstat, contra omnia verba continent indefessum studium rem suam faciendi, ut adeo verear, ne secundum vulgarem explicationem non satis refutari possit vehementer noxius error. Deo non placere eos omnes, quibus res angusta domi sit.

§. 17.

Nostra opinione autem compellantur à vate *restauratores templi post redditum è Babylonia*, non eo animo, ut ipsorum indefessa industria vituperetur, aut calamitates exagitantur & quasi exprobrentur, sed ut sciant sua, quamquam laudatissima cura, rem tantam non agi, Numen vero supremum Christo Domino nostro templum parare, quod ipse aliquando homo factus sua præsentia exornatus esset. *Malach. III. 1. Hagg. II. 10.*

§. 18.

Quid vero movit doctissimos viros, ut vocem שְׁמֹן transferrent? Nam, ut taceam, quæ modo attigi, sensum incommodum esse, quemadmodum & sequentia difficillime, si vulgaris opinio placeat, connecti possunt: sane vox ita scripta nusquam legitur pro שְׁמָנָה Observarunt critici, in hac semel, nec saepius, lecta voce נִשְׁרֵפֶת scriptum esse pro ט. Quæ res me movet, ut malim radicem שְׁמָנָה mutavit in partes vocare, nam in voce שְׁמָנָה ex טַבְתָּה ea permutatio nunquam facta, at in radice שְׁמָנָה factam esse nemo negat, ut *Psalm. LXVIII. 18.* voce נִשְׁרֵפֶת item 2. *Reg. XXV. 29.* Mutavit vestes, quas in custodia habuerat. Sit ergo nomen notissimæ formæ שְׁמָנָה mutatio, sive si *adjectiva vox* magis placeat, mutata scil. domus. Ita etiam vocula בְּ, quam nemo intellexit, clara est. Sic, scil. mediante

mediante opera vestra, quam molestissimam sumitis, quæque videtur frustra esse (cum certe nec debeatur vobis rei tantæ gloria, vid. 2. Cor. IV. 7.) Deus dilecto suo mutatam seu restauratam dabit.

§. 19.

Versus tertius nunc pulchre explicari potest & nexus elegantissimus cum antecedentibus ostendi. Hoc vult Salomo, futura esse summa ecclesiæ decora, servari nascituris ingentem gloriam, tum maxime tefulsuram, cum in suum templum Christus venerit, *hæreditas*, inquit, *Domini, unti filii.* B. GEIERVS sic ait, non bene, quantum mihi intelligere datum est: *hereditas Domini*, h. e. *bonum divinus concessum*, additque *genitivum* non tam possessorem quam auctorem boni designare. Eodem modo JO. CLERICVS: „*hereditas*, inquit, à Jehovah, *hereditas* Jehovah, „*hoc est à Jehovah, quasi eslet נֶסֶכְתָּא נָשָׁרָה*, „Nescio, quid doctissimos viros ad hanc translationem moverit. *Quasi eset*, inquit. Immo, quia non hic exstat, sed *hæreditas Jehovah*, par fuisse ita intelligere, ut in Psalmo exstat. Nil vero certius, quam *hæreditatem*, seu ebræam vocem נֶסֶכְתָּא semper ejus dici, qui eam possidet, non qui relinquit, e. g. *Numer. XXVII. 7. Isa LIV. 17.* Ad nostrum vero locum præ ceteris conferri velim *Psalm. XVI. 6.* ubi de *hereditate Domini nostri agitur*, h. e. ecclesia sanguine ejus parta.

§. 20.

Ad reliqua commatis nostri rursus probbo HILARIVM. Sic ait: *Ecce hæritas Domini, filii; merces fructus ventris.* Ea „ergo in filiis hæritas Domini est, quam ex mercede „fructus ventris acceperit. Non enim inanis hic fructus est,

„est, quocum ex virginali ventre, manens antea Deus,
„nascitur. Nam merces ejus hereditas est, & hereditas
„filii sunt. Quotquot, inquit, eum receperunt, dedit eis
„potestatem filios Dei fieri.

§. 21.

Nolim hic mihi objici, hoc sensu dicendum fuisse שֶׁבַר קָרֵי הַכְּפֹן ut in statu constructo poneretur; nam *distinctivus accentus* attentionem majorem excitat. Merces erunt, illi filii, cuius? *fructus ventris*, h. e. ejus, qui & ipse non dignatus est ex humano ventre nasci. Hæc cum arbitrer facile intelligi posse, contra haud video, qui intelligi possint verba psalmi è vulgari interpretatione: *Fruitus ventris est præmium*, cum non dicatur, cuius præmium sit.

§. 22.

¶. 4. In hoc commate nunquam vidi, quid sibi velit recepta adhuc interpretatio. Hoc volunt, adolescentes filios esse telorum instar. Verum ego, nec quibus verbis dicti sint *adolescentes filii*, intelligo, nec si vel exstant in textu ebræo, quæ istis similitudo cum *telis* intercedat, nec denique, quid tota hæc disputatio ad initium psalmi de excitato templo, magnopere faciat, capio. De privatorum quorumcunque filiis dici sane non potest beatum & formidabilem hostibus esse, qui filiis abundet. Et nihil minus sunt quam *adolescentes filii*.

§. 23.

Filiis adolescentia CLERICO dicti putantur, „quod nempe pater jam grandior natu adultos eos videat, eorumque opera utatur ad rei familiaris administrationem & tutelam; cum filii, qui a senibus suscipiuntur, in infantia,

„fantia, aut in pueritia relinquuntur; „additque: rationem
hujus rei adsecuti non erant viri docti.

§. 24.

Laudo CLERICVM, qui vidit, si יְמִינָה adolescence significet, non ipsos filios adolescentes intelligendos esse, sed filios adolescentum, h. e. genitos in adolescentia parentum. Sed videre porro debuisse rationem, quam ipse sibi finxit, cur præstantiores sint liberi à patre juvēne geniti, quam qui ex patre proiectioris ætatis nati sunt, nullam esse. Vulgo accidit, ut dulciores parentibus sint, liberi præter spem in grandi ætate geniti. Deinde, sive tu hos sive illos intelligas, cur dicentur filii esse *jacula telave* in manu hominis strenui? Præstat cum vetustis interpretibus reddere; οὐαὶ τῶν ἐπετηρωμένων, ut sit participium de verbo נַעֲרָה filii excusorum.

§. 25.

Sunt & hic recitanda, quæ B. HILARIVS habet, maximam partem pulcherrima. „Tanquam sagittæ in manu potentis, ita filii excusorum. Sagittarum hic usus est, ut emissæ celeri volatu ferantur, & ad destinata quæque indeflexa linea dirigantur. Esse autem sagittas, quibus Dominus utatur, ita legimus, cum ait: Misit sagittas suas & dissipavit eos. In Esaia quoque ita scriptum est, quod etiam de ipso Domino dictum esse possit intelligi. Esa. XLIX. 2. & posuit me tanquam sagittam electam, & in pharetra sua abscondit me, & dixit mihi: magnum tibi est vocari puerum meum, sunt ergo istiusmodi Dei sagittæ volatu citæ, jactu fideles: quas, quantum ratio-

„Spiri-

„Spiritualis demonstrat, significari doctrinas propheticas
 „atque apostolicas, in quibus Dei uerbum est, oportet
 „intelligi ubique missas, compungentes, arguentes, vo-
 „lantes: quamquam in plurimis locis meminerimus esse
 „& mortiferas & lethales sagittas, de quibus scriptum
 „est Ps. VII. Sagittas suas arsuris operatus est. Verum
 „hic non de ultricibus sagittis dici aliquid intelligi potest,
 „quia nunc sicut sagittae in manu potentis, ita filii excus-
 „orum, Pharaon in mari rubro in interitum ob crimen
 „impietatis excussus est, excussum quoque apostolicis pe-
 „dibus pulverem, scimus sententiam esse maledicti. Et
 „quia, sive prophetae ipsi, qui excusorum, id est pecca-
 „torum & maledictorum filii tanquam volantes & fide-
 „iles sagittae, doctrinæ coelestis emissi sunt; vel apostoli
 „ecclesiæque doctores de excussis per impietatem suam in
 „maledictum gentibus, crediderint, idcirco ait: Tanquam
 „sagittae in manu potentis, ita filii excusorum: orbem
 „terræ volatu peragrantes, infidelia corda doctrinæ telo
 „vulnerantes, & peccatorum omnium incentiva salutari
 „jaculo pungentes.

§. 26.

Probo mirifice, quæ de telis seu sagittis, quibus
 Deus mundum vicit, hoc est, apostolis corumque succe-
 foribus eleganter differuit HILARIUS. *Esaie dictum Cap.*
XLIX. 2. accommodatissime huc laudavit, quo ego con-
 ferri velim *Psalm. 45. 6. sagitte tuae acutæ sunt &c.* Et fue-
 runt sane Apostoli *excussi*, è Synagoga Judæorum ejectedi,
 non illi modo, qui *Act. VIII. 1 - 4.* cum dispersi essent, sa-
 lutes flamas Evangelii latius diffuderunt, sed & reli-
 qui

qui omnes. Ceterum , quæ de pulvere excusso HILARIVS non bene dixit , nolo exagitare. Videtur vir præstantissimus , cum ebraæ legere non posset , dubius fuisse , utrum excusor , an excusus , nominativus sit , unde vox excusorum descendit. Hinc correptus est ab HIERONYMO l.c. ad Marcellam : „Miror , te in Hilarii commentariis non legis- „se , excusorum filios credentium populos interpretari: „quod scilicet Apostolos illo nomine putaverit appella- „tos , quibus in Evangelii sit præceptum : in quamcunque ci- „uitatem introierint , & non fuerint recepti , excutere pulverem pe- „dum suorum in testimonium non credentium ; licet tu argute „præcaveris , non posse Apostolos sub nomine excusorum „intelligi , cum sit aliud excutientium , aliud excusorum , quia „excutientes sunt , qui excutiant , excusi vero , qui ab aliis „excutiantur: & incongruum esse excusos Apostolos ac- „cipi , qui magis excutientes debuerint appellari.

§. 27.

HIERONYMVS paullulum abit ab HILARIO , sed & ipse primos christianos intelligit. Merentur & ea legi:
 „Restat igitur , ut rursum ad fontem sermonis recurramus
 „hebræi , & videamus , quomodo scriptum sit. Ubi nos
 „habemus , sicut filii excusorum , ibi legitur
 „**כִּנְגָּזְרִים**
 „quod AQVILA interpretatus est , sicut filii pubertatum.
 „SYMMACHVS & THEODOTIO : Sicut filii juventutis.
 „Sexta γεννηθετος νεανις , quod nos dicere possumus , exacuti
 „sensus. Ex quo manifestum est , adolescentiæ populos in-
 „telligi christianos , secundum illud exemplum , quod
 „Deus suos sanctos in modum arcus & sagittarum dica-
 „tur extendere; ut in Propheta Zacharia LX. 13. quoniam ex-
 D
 „tendi

„tendi te mihi Iuda ut arcum. Et Salvator de semetipso Esa.
 „XLIX. 2. Posuit me sicut sagittam electam, & in pharetra sua
 „abscondit me. Denique in sequenti versu exceptis septua-
 „ginta, qui aliter transtulerunt, & in hebraeo & in cun-
 „ctis editionibus ita reperi: Beatus vir, qui replevit pha-
 „retram suam ex ipsis; ut, quia metaphoram semel sum-
 „ferat ex sagittis, & in pharetra quoque translatio serva-
 „retur. *Excusos* autem & consuetudo sermonis humani
 „vegetos & robustos & expeditos vocat. Et ipsi septua-
 „ginta Interpretes in Esdræ libro, pro *juvenibus* transtule-
 „runt, in quo ita scribitur: Et factum est die illa, medii
 „excusorum faciebant opus, & medii eorum habebant
 „haftas, & scuta & arcus & thoraces, & principes post
 „omnem domum Juda ædificantium in muro. Ex quo
 „animadvertisimus, & in præsenti loco pro adolescentibus
 „atque puberibus *excusos* positos, non, ut ille opinatus
 „est, pro Apostolis, qui excusii à pedum excussione dicantur.
 Legi & cuiusdam librum & elegantem in eo sen-
 sum reperi, excusos Judæos dici à templo & lege & gra-
 tia Domini, pro eo, quod est reprobos: & eorum esse
 filios Apostolos, qui ex ipsorum semine procreentur, &
 in similitudinem sagittarum manu Domini contineantur.

§. 28.

Supereſt comma *quintum*, nunc paucissimis expedi-
 endum. Beatum prædicat Salomo eum virum, seu prin-
 cipem, qui Apostolicorum virorum quamplurimos terris
 suis recipit, has, inquam, sagittas divinas in pharetra sua
 recondit. Non pudeſt illi servi Dei, quando bellan-
 dum est cum hostibus, gladio verbi divini unam victoriam
 post

post alteram accipient, ut appareat verum Deum esse in Zione. Non verebuntur causæ suæ bonitate freti, comminus cum hostibus veritatis congregati in porta, h. e. fori loco consueto, audientibus omnibus, & palam. Qui hic domestica solum spectant, videant, quomodo verum sit victores in judiciis humanis eos esse, qui multos habent filios.

ANIMADVERSIONES AD JO. XV. 24. et IV. 48.

§. 1.

Non videtur doctissimus LAMPIVS satis provide in explicando Joannis XV. 24. loco versatus. Nam primo ferri nequeunt verba hæc: „Junguntur illa (miracula) hic „sermonibus ejus, ut sæpe alias, Luc. XXIV. 19. Act. I. 1. „vid. supra XIV. 10. Non, quasi doctrina Jesu non per „se suffecisset, sed superpondii causa, & propter genium „Judæorum signa à Prophetis postulantum. Confer. Cap. IV. 48.

§. 2.

Huic viro si credas, Christi miracula, res superflua parumque necessaria sunt, ita ut, si vel nulla existarent, tamen genus humanum deberet Jesum Nazarenum Messiam esse credere, ut nos contentos esse par est, si mercator justo pondere utatur, tametsi superpondium nullum adjectum sit.

D 2

§. 3. Hoc

§. 3.

Hoc asserere est contradicere , cum disertis Christi verbis , qui negat eos peccata habituros , qui credere nolent , si ipse non patrasset miracula ; nam LAMPIO iudice repudiatio Messiae nihilosecius atrocissimum peccatum futurum erat , si ponas , agnoscendi ejus rationes , quantumvis non superfluas , tantas tamen quantæ satis sunt , è sola doctrina , præsto fuisse : tum iis , quæ ipse LAMPIVS verborum suorum haud satis memor , paullo post p. m. 272. scripsit : „Inter criteria enim Meilæ à Prophetis data „erant quoque miracula , vid. supra Cap. II. v. 11. Quare „non opus erat , ut Judæi aliquem pro Messia agnoscerent , „qui miraculis non inclareceret .“ Quamquam & hic non penitus placet vir doctus , & minus quam par est , dixisse videtur . Nam non modo opus haud erat aliquem pro Messia agnosci , qui miraculis non demonstrasset , se vere esse Christum , sed & contra summopere opus , nullum agnosci , & repudiari potius , qui non caussam suam miraculis , neque iis qualibuscumque , sed de Messia Esaïæ XXXV. alibique prædictis , præclare esset tuitus .

§. 4.

Sed & iis , quæ ad Jo. IV. 48. ipse observarat , hic vir doctus repugnat , quo quidem loco errorem eundem , quem modo reprehendi , erravit . Ita ibi LAMPIVS : „Inter criteria igitur , per quæ Messias agnoscendus , miracula etiam erant . Ex eo fonte infra Cap. XV. 24. audiimus Jesum afferentem : Si opera non fecissent inter eos , que nemo alius fecit , peccatum non haberent . In se ergo hæc res nihil vitii habebat , sed tantum ex circumstantiis cul- „pam

„pam contrahebat, tum, quod magis ad signa, quam ad doctrinam adeo plene cum doctrina Mosis & Prophetarum convenientem attenderent, quæ ad eos in conscientia convincendos sufficere potuisset, tum &c.“

§. 5.

Hic rursus improbandum, quod perhibet, vel nullis miraculis factis, solam suffecisse concordiam cum Mose & Prophetis, qua convincerentur Judæi, Jesum esse Christum. Et palam est, LAMPIVM quæ modo asseruerat, confessim ipsummet damnare, dixerat enim & merito, *miracula in criteriis esse*, per quæ Messias fuerit agnoscendus. Oportet vero non criteriorum partem aliquam, sed omnia conjuncta esse in eo, quem Messiam venerari debeamus.

§. 6.

Rectissime vir doctus largitur *per se nihil vitii in eo esse*, quod à Christo seu Messia signa & miracula postulentur. Verum hoc mihi vehementer dubium videtur, an difficultas objectioni, quæ, si LAMPIVM aliosque plurimos in explicando loco Joan. IV. 48. sequareas, declinari nequit, ita mederi possis, si respondeas, Christum in Judæis universis, regioque isto administristro, non ipsum desiderium miraculorum, quibus de veritate Messiae convinci possent, damnasse, sed petitionem ob *circumstantias*, nescio quas, cum isto postulato conjunctas, damnabilem factam esse. Ad me quod attinet, sic animum induco: Si sit in verbis, quæ Christus regio illi ministro respondit, aliqua reprehensio, intercedi non posse, quin *ipsa petitio* mi-

raculorum mala sit censenda, de circumstantiis enim, quas Interpretes suspicantur, altum in Joanne silentium.

§. 7.

Quæ mihi de eo loco videantur, uberrime alias dixi. Hic paucis mentem meam exposuisse satis erit. Nego regium illum à Christo reprehensum, contra, spem auctoritatem esse dulcissimam sanitatis filio ejus modo plane stupendo & mirabili restituendæ. Verba Domini sic transtuli: *Nisi signa & prodiga videritis, non est quod credatis,* quo conferri vélim, quantum ad voces *μη πιστεύοντες* attinet, *Marc. XIII. 21.* Longe alia ratio est importunæ postulationis signorum, cuius Judæi rei sunt, facta & luculentissimo modo demonstrata resurrectione Christi, cuiusque & antea rei fuerant, cum *de calo* signa pererent, quibus præter alia splendidissima signa sufficere debuerat signum Jonæ Prophetæ in resuscitato Christo repetendum, quod exspectare jussi sunt, vid. *I. Cor. I. 22.* *Matth. XII. 38.* *XVI. 1.*

§. 8.

Neque hæc laudare possum celeberrimi LAMPIDI, quæ ad *Jo. XV. 24.* p. m. 272. scripsit: *Nemo aliis similia fecit.* „Conferri poterant non tantum cum miraculis fictis psevdoprophetarum, uti factum est ad *Cap. IX. 16.* „sed etiam veris Mosis & aliorum θαυματέρων, quam in rem consuluntur, quæ ad *Cap. XII. 37.* sunt adducta.“ Improbo assutam vocem *similia*. Quid est, cur negemus alia miracula *similia*, immo *æqualia*, fuisse, Mosis potissimum?

mum? Hoc si voluisset Servator, dixisset sane. Sic autem ait: Nisi fecissem miracula, quæ nemo alias fecit &c. Eorum miraculorum catalogum videoas Matth. XI. 5. quæ à Messia, ita vaticinante Esaia XXXV. 5. patranda fuerant. Primum est *apertio oculorum cœcorum*, hoc à nemine eorum, qui olim mirabilia edidere, factum legimus. Jo. IX. 32. nec ab ipso Mose. Hinc vero non bene collegerit aliquis, Mosis miracula, vel Dei potius per Mosis ministerium, quantum ad *gravitatem & dignitatem* pertinet, minoris habenda esse, quam Christi miracula, quamquam hoc observatum volo, ratione *virium* quibus ea omnia facta sunt, immensum discriben intercedere, cum Christus *suis sibi propriis*, at Moses ceterique Prophetæ alienis, à Deo nempe acceptis, confecerint miracula. Ceterum si *per se* contempleris *ipsa miracula*, non *vires*, quibus debentur, certe discessiōnem maris baculo percussi, & aquarum utrinque stantium, neque minus reliqua Mosis miracula, nulla parte minora aut tenuiora existimanda fateor, quam apertionem oculorum in coeco nato. Sed, ut repetam, quæ dixi, illa *Matth. XI.* scripta miracula à Messia facienda fuerant, quorum pleraque nemo alias unquam fecit, ita volente magistro ac summo auctore omnium miraculorum Deo, ne alias quisquam ea omnia mirabilia patraret, in quibus Servator mundi agnoscendus eslet.

§. 9.

Magis etiam, quam LAMPII perperam dicta, improbo, AVGVSTINI CALMETI doctri utique & industrii vii, sed longe majorem, quam par est, auctoritatem apud nonnul-

nonnullos naucti, aliqua, quæ parte altera disquisitionum biblicarum, quas venerabilis MOSHEMIVS vernacula nostra edendas curavit, exstant p. 44. Tertullian bemerckt von dieser Sache etvvas, das eine befondere Aufmerksamkeit verdient. Es scheint, saget er, daß der Sohn GOttes das Zeugnis der Wunder, seine Göttliche Sendung zu bevveisen, damals nicht mehr gebrauchen können, nachdem Er diesen Bevveiß, durch seine Weissagung, die Betrüger vviürden Wunder thun, die auch so gar die Auserwählten verführen möchten, selbst enikräftet, oder vielmehr gar vernichtet hätte. Temeratiam signorum atque virtutum fidem ostendit, ut etiam apud psevdochristos facillimatum. Woher kommt es dann setzt er hinzu, daß JESUS Christus verlanget, man solle vvegen der Zeugnisse seiner Wunder ihm Beyfall geben, ihn erkennen, ihn annehmen, da Er doch eben dieses Recht den übrigen Wunderthätern nicht verstatthen vwill? die Ursache davon ist sonder Zvweiffel, weil Er am ersten gekommen, um ersten die Natur und vvhahre Eigenschaften der Wunder erklärret, und nachdem Er dadurch Glauben gervonnen, sich zum HErrn über die Seelen der Menschen gemacht. Wie einer der zuerst in das Bad kommt, den Platz einnimmt, und den übrigen die Thüre verschließet. So hat JESUS Christus alle iibrige vom Platze vertrieben und allen Glauben an sich gezogen, ita fidem occupavit, posteris quibusque præripuit. Weil Er den Vortheil gehabt, daß Er erst gekommen: So hat Er die, so nach ihm kommen sollten, außer Ansehen gesetzt, indem Er sie recht abgemahlet, und ihre Ankunft vorher verkündigt.

§. 10.

Quoniam nihil video vel ab ipso celeberimo CALMETO, vel à venerabili editore, cuius quidem multa præclare

præclare monita p. 46 .sqq. exstant, hanc in rem dictum esse, quæ mihi videtur gravissima , &c, si admittantur , quæ CALMETVS Tertullianum sensisse perhibet , perniciosissima , atque ita comparata , ut ipsa fulcra sanctissimæ religionis nostræ conveillantur; constitui opinionem istam accurato examini subjecere , eo quidem ordine , ut primum de re sententiam dicam , tum sitne ista opinio , plane detestabilis , TERTULLIANI , paucis disquiram.

§. 11.

Initio vehementer absonum videtur , aliquando posse miracula Christi idoneum testimonium argumentumve personæ divinæ , legationis à patre & veracitatis in docendo esse , *alio tempore* non posse. Temporum conditio non poterit pondus & gravitatem rerum , quam intra se res continent , mutare. Neque enim auri interna bonitas alia heri fuit , hodie alia est , cras item alia futura est , sed eadem semper , quamquam pretium , si cum aliis rebus contendatur , externum augeri minuive potest. Ac si nolis de corporeis rebus , in quibus mutandis temporum aliqua vis esse potest , exemplum capere , *veritatum* certe omnis generis una semper & constantissima ratio est. Quodsi ergo aliquo tempore Christus miraculis editis addito monito , ideo fieri , quoniam facienda olim à Meilia , per antiquissimos vates prædicta essent , plene atque solide demonstravit esse se eum , quem se perhibueret esse , fieri non potest , ut idem neque in se ulla parte mutatum argumentum , *alio tempore* minus idoneum incipiat esse.

E

§. 12.

§. 12.

Prædictio vero Christi de psevdo-christis & eorum futuris miraculis, quid detrahere pretio miraculorum ab ipso perpetratorum possit, nemo facile intelliget. Nemo enim eorum unquam vel fecit vel facturus est, miracula illa, quæ ab antiquis vatibus ut futura aliquando, & in signum veræ doctrinæ admittenda, prædicta sunt. Porro aliquot miraculis tam clari tamque non inficiandi characteres divinæ originis insunt, ut, quicunque non emotæ mentis est, agnoscere, ringens etiam & invitius cogatur. Talia sunt, multiplex illud *Elie r. Reg. XVIII.* transitus per mare algosum, interitus Korachi & Sociorum; Manæ quotidiana, at septimo quoque die omisla, præbitio; fuscitatio Lazari &c. Hic nulla suspicio locum habet, talium vel factorum aliquando à Prophetis mendacibus vel futurorum. Alia miracula, quamquam vera, destituta tamen sunt adeo luculentis & invictis characteribus divinæ originis, e. g. fuscitatio è mortuis *filia Jairi*. Non diffidendum fieri, Deo permittente, viribus Satanæ ea posse, quæ naturæ viam, quantum nobis cognita est, superant, & sive vera miracula sint, h. e. quibus naturæ leges corporibus divinitæ inditæ suspenduntur, sive ea tantum imitentur, salvis & observatis motus legibus naturalibus, saltem ita comparata, ut ab secundo genere verorum quidem miraculorum at minus illustrium, humana sapientia discerni nequeant.

§. 13.

Iniquissima res esset, si quis ausus foret Christum accusare, non concessi ejusdem juris aliis, qui doctrinam suam

suam vellent miraculis demonstrare , quod sibi in simili causa sumfisset. Nam sanctissimus noster Servator ea omnia confecit , quæ Messiae erat facere , nec ejus modo generis miracula , quæ utut vera , minus tamen illustria fas-sus sum dari , quæ homo non insipiens cum miraculis à fal-so propheta venditatis confundere fortasse posset; sed ejus generis etiam quamplurima , quorum illustrissima & irre-fragabilis claritas controversiam omnem & dubitationem omnem excludit. Quoniam vero cunctorum , qui veritatem religionis christianæ interpellant , nemo unquam si-milia fecit , facturusve est , nefas esset postulare , ut quæ ipsi agunt , pro argumento veritatis doctrinæ accipientur. Nec habent ullum jus , nec negatum sibi , quod nusquam est , conqueri poterunt.

§. 14.

Verum , si inesset expostulationi aliquid solidi , & pos-set dici , sumere Christianos pro suo Domino , quod nol-lent aliis , pro suæ cuique religionis auctore concedere : inanis sane hæc responsio esset , Jesum Nazarethanum re-liquos antevertisse , occupatoque adeo primo loco , merito illos excludere , præreptaque hominum credulitate , tueri jure locum suum. Nescio , quid de tam nefaria opinione satis acerbe dici queat , quæ cum ratione , æquitate , & bo-na mente ita adversa fronte pugnat. Quis dixerit , doctri-narum eam esse rationem , quæ jure civili prædiorum est , quæ nisi intra præscriptum tempus afferas tua esse , ejus sunt , qui jure injuriave occupavit ? Et qui argumentis suis , quantumvis bonis & gravibus , serius paullo venerit , quam

E 2

alter,

alter, pondere rationum levissimus, at velocior tempore,
victus abibit? & mendacia temere quidem sed mature cre-
dita veritatis nunc honestissimam speciem jure tuebuntur?

§. 15.

Denique intelligi nequit, ad tuendam afferendam
veritatem aliquid facere, si alium post te venturum vivis
coloribus depinxeris. Longe aliud est dicendum, ubi eo
tempore clare & manifestis characteribus is, qui venturus
aliquanto post est, repræsentatur, quo nondum exstat, ne-
que adeo de ejus indole & actionibus cuiquam quidquam
compertum esse potest. Nam hoc si fiat, de eo judican-
dum, quod de reliquis vaticiniis divinitus ortis. Cete-
rum quæ de *explicata a Christo natura miraculorum* narrantur,
somnia sunt. Nusquam Christus instituit rationes & na-
turam miraculorum exponere.

§. 16.

Restat paucis videre, an TERTVLLIANVS, quæ
CALMETVS perhibet, senserit. Verba paullo post ini-
tium *L. III. adversus Marcionem p. m. 205.* existant, quæ con-
sultum est omnia huc describere: „Non fuit, inquis, ordo
„ejusmodi necessarius, quia statim se & filium & misum,
„& Dei Christum, rebus ipsis esset probaturus, per docu-
„menta virtutum. At ego negabo solam hanc illi speciem
„ad testimonium competitę, quam & ipse postmodum
„exautoravit. Siquidem edicens multos venturos, & si-
„gna facturos & virtutes magnas edituros, ad aversio-
„nem etiam electorum, nec ideo tamen admittendos, te-
„teme-

,,merariam signorum & virtutum fidem ostendit, ut etiam
,,apud psevdo-christos facillimarum. Aut quale est, si in-
,,de voluit probari & intelligi & recipi , ex virtutibus di-
,,co, unde ceteros noluit , æque & ipsos tam subito ven-
,,turos, quam à nullo auctore prædicatos? sed quia prior
,,eis venit, & prior virtutum documenta signavit , idcir-
,,co quasi locum in balneis', ita fidem occupavit , poste-
,,ris quibusque præripuit?

§. 17.

Accurate expendi hunc TERTVLLIANI locum, &
mallem quidem optimum virum vili ista comparatione
cum balneis plane se abstinuisse, mens tamen TERTVLLI-
ANI utique bona est, hæc: Non esse quod nobis Christum
singamus similem homini esse balneum ingresso , qui
subito primum , haud adsignatum antea locum occupet.
Noluisse Servatorem nostrum, ex solis miraculis, pro eo
qui est, agnoscí, nisi prius indicata essent , itaque curasse
per vates prænunciari, prohibuisse enim fidem haberi iis,
qui subito cum miraculis venturi essent. Qua in re cum
nihil inveniam, quod in TERTVLLIANO merito culpe-
tur , spero fore , ut, si quis præcedentia in TERTVLLI-
ANI libro, & quæ sequuntur, accurate inspiciat, quam-
quam aspera est dicendi ratio hujus Afri , tamen meæ
fententiae accedat , fateaturque CALMETVM, clarissi-
mum virum, TERTVLLIANI mentem minus bene per-
spexisse , eique tribuisse , quæ is acerrime damnat &
proscribit.

§. 18.

§. 18.

Sed nihil prohibet, in eorum gratiam, qui TER-
TVLLIANI libro carent, partem reliqui sermonis de-
scribere. Nempe ut demonstret rem valde absonam es-
se, si velis Christum imaginari idem fecisse, quod, qui
subito occupato balneo, alios excludunt, subjicit: „Vi-
„de ne & ipse in conditione posteriorum deprehendatur:
„posterior inventus creatore, ante jam ognito, & proin-
„de virtutes ante operato, & non alter præfato, non
„esse aliis credendum, post eum scilicet. Igitur sic prio-
„rem venisse, & priorem de posteris pronunciasse, hoc
„fidem eludet: prædamnatus erit & ipse jam ab eo,
„quo posterior est agnitus, & solius erit au-
„ctoritas creatoris &c.



3d 6020 II.

(2)

ULB Halle
003 772 209

3



TA-706

WMA Natur



30

Q. D. B. V.

SACRARVM OBSERVATIONVM MANIPVLVS

INTER IPSA INAVGURATIONIS SOLEMNIA
CONDITAE

A
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

F R I D E R I C O,

MARCHIONE BRANDENBURGICO, DVCE BORVS-
SIAE, SILESIAE, MAGDEBURGI, CLIVIAE &c. &c. BVRGGRAVIO NO-
RIBERGAE, PRINCIPE HALBERSTADII, MINDAE, CAMINAE
ET RELIQA
CIRCVLI FRANCONIAE SUPREMO CAMPIMARESCHALLO AC TRIVM LE-
GIONVM EQVESTRIVM AC PEDESTRIVM PRAEFECTO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
NOVAE

ACADEMIAE ERLANGENSIS

DISQVISITIONI PVBLICAE
PRO CAPESENDIS MORE PRISCO
DOCTORIS S. S. THEOLOGIAE
HONORIBVS
PROPOSITVS,
A
M. GEORG. LVDOV. OEDERO,
ANTISTITE FEVCHTVVANG. ET EIUS DIOECES. DECANO.
ERLANGAE LITTERIS BECKERIANIS.